SALVTAREM VRTICATIONIS IN DIVERSIS MORBIS VSVM



PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF. PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ERFVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR. SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS MEDICI H. T. PRODECANO

D. MAII CIↃIↃCCLXXXIX.

MEDICI DOCTORIS DIGNITATEM


LEGITIME CAPESSVRVS

ALIQVOT EXEMPLIS

ILLVSTRAT

CAROLVS HENRICVS SCHLENKER

SVIDNICENSIS SILESIVS.



TRAIECTI AD VIADRVM,

E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

47046/P



PROOEMIVM.

Equidem non dubito, quin ex eorum numero, qui in veterum medicorum, Graecorum Romanorumque, monumentis ſunt verſati, pauci inueniantur, qui, quam efficacibus aeque, ac ſalutaribus medendi methodis magni iſti viri in diuerſis grauioribus morbis ſint vſi, penitus ignorent. Verum enim vero licet de ipſo huius modi antiquiſſimorum remediorum vſu, effectuque praeſtantiſſimo, nullum ſit dubium: tamen, quo modo, et quasnam ad rationes, quibusque miſcelis ſint applicata, plerumque ignoratur. *Elleboriſmorum*, verbi cauſa, ſumma olim in tollendis grauiſſimis morbis fuit auctoritas

 et

et sollemnis vsus: sed, quodnam singulare helleborum genus, qui applicationis modus, quaenam dosis, et cetera, huic inseruierint vsui, nec dum est expeditum; licet perspicacissimus harum rerum arbiter, IOANNES HENRICVS SCHVLZIVS *), in illustranda hac efficacissima medendi ratione subtiliter, vt solebat, docteque laboraret. Magnum porro olim aduersus magnos morbos in antiquissimis medicorum scholis remedium fuit ψαμμισμὸς: eiusdem tamen nostris temporibus adeo obscura est memoria, vt, praeter nomen, nihil aliud supersit. Atque huius generis plurima habemus exempla. Sed medica veterum *vrticatio*, quippe simplex facilisque operatio, inde ab antiquissima aetate ad nostram memoriam peruenit; digna omnino, quae etiamnunc haud exauctoretur. Sollemne igitur profectuum meorum specimen editurus, ad hanc materiem pertractandam animum adieci.

*) In *dissert.* Halae, anno 1717. edit.

§. I.

§. I.

Epiſpaſtica quaenam?

Accidit in hominum corporibus haud raro, vt aut varii eorundem humores naturales, ſiue propriae adhuc atque a natura humana conſtitutae mixtionis tenaces, ſiue variis corruptis particulis ſint inquinati, cum in priuatis ſuis canalibus aut conceptaculis iuſto magis augeantur accumulenturque, tum ad alias partes, quae alius generis humoribus ſunt deſtinatae, delabantur, illicque ſedem figant; aut ipſae ſolidae fibrae, partim muſculares, irritabili facultate praeditae, partim neruoſae, ſentiendi vi pollentes, vtriusque virtutis mox augmentum, mox decrementum, variis ex cauſis patiantur. Quandocunque haec fiunt, et diuerſos multiplicis omnino generis morbos generant, tum profecto medentium intereſt: mox humores vitioſa ratione ſingulatim ad ſua priua aut aliena loca congeſtos diſſipare, et aequabili proportione diſtribuere, aut ad congrua humani corporis cola deriuare; mox ante dictas irritabiles ſentientesque fibrillas, ſi vi ſua defecerint, idoneo irritamento excitare, aut, ſi forte ab indigeno et priuatim incumbente ſtimulo peculiariter tactae, vel nimium ſentiant doleantque, vel in vehementiores motus contractiles cieantur, denuo, amoto et ad loca, nec irritabilia, nec ſentientia, aut etiam emunctoria, depulſo ſti-

 mulo,

mulo, in liberam actionem vindicare. Quod si haec indicatio qualiscunque medica absoluitur per corpora, cuti applicata, quae particulis suis acribus atque stimulantibus epidermidem penetrant, et vascula cutanea tenerrima efficaciter irritant, donec maior in iisdem transfluentium humorum sequatur adfluxus, immo saepius ipsae hinc vesiculae excitentur; aut istos fines neruorum papillares, qui in cute desinunt, acriter stimulant, totumque exinde neruorum systema, et hoc parario quoque vniuersam muscularium fibrarum compagem, irritamento suo erigunt, insitamque vtrique generi actuosam firmant vim potentiamque: tunc haec *methodus* dicitur *epispastica*; ipsa quoque medicamenta externa, quae huic generi subsunt, epispastica nominari solent *a*). Verum enim vero modus genusque horum irritamentorum, huic vsui inseruientium, est duplex: aut *mechanicum*, si solo attactu aut impulsu externae horum corporum superficiei inaequalis, acutae, et rel. stimulus infertur; aut *salinum*, si particulae salinae acres varia ratione extrinsecus cuti admouentur, ab osculis venosis cutaneis sorbentur, adeoque confinium minimarum arteriolarum oscillationes excitant.

§. II.

Vrticatio qualis et quaenam operatio?

Vrticis recentibus aegrotos, quorum vires vario modo effoetae deprehenduntur, caedere, non adeo

a) Ab ἐπιςπάω, attraho.

adeo infrequens veterum medicorum fuit consuetudo; sicuti ex iis, quae supersunt, eorundem monumentis luculenter constat. Ex quibus etiam intelligi potest, nec inefficacem, nec infructuosam fuisse hanc medicinam. Colligam potiora hac de re veterum medicorum testimonia, his dictis fidem factura. Antiquissimum omnium, qui huius vrticationis medicae mentionem feceruut, inuenio auctorem, A. CORNEL. CELSVM. Non, quod hoc a viro hanc operationem primum institutam existimem; vrticarum enim vrens, adeoque etiam epispastica, efficacitas in vulgus erat nota: sed quod in iis, qui ad nos peruenerunt, libris, quantum memini, vrticatio medica a CELSO primum memoratur. Hic enim, neruorum resolutioni medendi rationes exponens: *Prodest*, ait *b*), *torpentis membri summam cutem exasperasse, vel* vrticis *caesam, vel imposito sinapi, sic, vt, vbi rubere coeperit corpus, haec remoueantur.* CELSO aetate proximus, ARETAEVS *Cappadox*, ad excitandos ex profundis soporibus lethargicos haec commendat: *Materia*, scribens *c*), *esto calefaciens, et ex adiectione mordens. Nam vtroque veternosis opus est ad calorem excitandum atque vigiliam. Primum igitur* vrtica *crura verberato; tenuissimae namque vrticae partes adhaerentes non diu perseuerant, sed pruritum et dolorem non grauem inferunt: mediocriter vero stimulant et tumefaciunt, et calorem excitant.* Ex quo ARETAEI loco tam applica-

b) *De medic.* Libr. III. cap. 27. pag. 179. *edit. Krauf.*

c) In *Curat. acut.* Libr. I. cap. 2. pag. 80. *edit. Boerhav.*

plicationis ratio, quam medentis ſcopus clariſſime intelligi poteſt. Reliqui veteres medici Graeci Romanique, niſi me memoria fallit, huius rei, forte tanquam peruulgatiſſimae, mentionem prorſus intermiſerunt. Recentiorum vero temporum ſcriptores, quos deinde congruo loco excitabimus, huius vrticationis memoriam paſſim renouarunt.

§. III.

Vrticae vrticationi idoneae.

Sed ſcire refert, quaenam potiſſimum ex vrticarum genere huic medentium ſcopo ſint opportunae? Haud difficilis eſt coniectura, non alias olim huic vſui inſeruiiſſe vrticas, quam iſtas, quarum folia, dum recentia ſunt atque ſuccoſa, attactu ſuo cuti vſtionis pruritusque ſenſum imprimunt, et contacta loca in latas planasque papulas veſiculasque, potiſſimum albicantes, et mox iterum fugaces atque euaneſcentes, eleuant. Hoc nomine allegari merentur *vrtica dioica* LINN. ſiue *vrtica vrens maxima* CASP. BAVHINI; *vrtica vrens* LINN. ſiue *vrtica vrens minor* C. B. et *vrtica pilulifera* LINN. ſiue *vrtica vrens, pilulas ferens*, C. B. Superuacanei fore laboris exiſtimo, ſi ſingulares harum vrticarum characteres botanicos eruere vellem: cum non ſolum peruulgatiſſimae, neminique ignotae ſint plantae; verum etiam a veteribus ſcriptoribus botanicis, verbi cauſa, THEOPHRASTO *Ereſio*, DIOSCORIDE *Anazarbeo*, PLINIOque adeo accurate deſcriptae, vt dubitari ne-

nequeat, quin noſtrae, quarum hodiernus vſus eſt, cum iisdem, quas iſti viri recenſuerunt, plane ſint eaedem. Quid? quod ſi etiam hac ſuper re lis nobis intenderetur, nihil profecto intererit. Qualescunque enim putes vrticas, a veteribus adhibitas, tales certe admittere te oportet, quae extrinſecus vrendi pungendiue pollent efficacitate, et hinc inter epiſpaſtica ſuo merito locum inuenerunt.

§. IV.

Fons huius irritamenti.

Vt autem, quinam fons ſit huius irritamenti, quod ante dictae vrticae vrentes cuti inferuut, diſtincte intelligatur, ad ipſa harum plantarum folia, quibus potiſſimum haec vis inſidet, examinanda animum aduerti oportet. Haec nimirum folia vtraque ſuperficie, inferiori tamen paulo parcius, pilis ſiue aculeis rigidis et pellucidis muniuntur, qui vbique ſolis horum foliorum venis velut infixi ipſo nudo oculo conſpiciuntur, nec alibi vnquam exſtant. Quilibet huius modi pilus, ſatis armato oculo conſpectus, ſubulatus apparet, in cuſpidem acutiſſimam et quaſi rigidam deſinens, verſus radicem vero, qua ex folii vena prodit, in bulbillum aut potius veſiculam oblongam, pellucidam, limpido ſucco plenam, expan-

ſus. Haec in recentibus vrticis *d*). Quam primum autem ſiccatae ſunt vrticae, perſiſtunt quidem iidem aculei, haud minus, ac antea, rigidi, ſed parum adhuc pellucidi, collapſa ſimul inferiori veſicula, priſtinoque liquore deſtituta. Vnde nata eſt, haud improbabilis omnino, coniectura, ſuccum iſtum recentis herbae eſſe acrem cauſticumque, et ſtimuli vrentis fontem *e*). Quo nomine irritamentum hoc foret *ſalinum* (§. I.). Alii contra acutiſſimam illam aculeorum cuſpidem ſub attactu cuti infigi, diffractamque illic relinqui, adeoque vnice hinc cutim *mechanico* ſtimulo irritari, contendunt *f*).

§. V.

Noſtrae hac ſuper re obſeruationes.

Vt autem in difficili hac atque ſpinoſa quaeſtione, quae vtrinque ſuis munitur argumentis, ipſi periculum faceremus, eruendi, vtra priorum ſententiarum (§. IV.) a vero propius abſit, ſequentia inſtituimus examina, microſcopio quodam *Lieberkühniano*, curatiſſime confecto, oculum armantes.

Primo

d) Confer HOOKE'S *Diſcoveries by the microſcope*, pag. 22. tab. 12. et BONANNI *Micrograph. curioſ.* pag. 75. fig. 75.

e) HOOKE *loc. cit.* GVETTARD in *Memoir. de l'Acad. de Scienc. de Paris* ann. 1751. pag. 350. et VALISNERI *Oper.* Tom. III, pag. 204.

f) BONANNI *loc. cit.* et illuſtris MVRRAY in *Apparat. medicamin.* Volum. IV. pag. 591.

Primo intuiti ſumus in vrtica dioica, terrae adhuc innaſcente, definiti et notati folii pilos, vtraque in ſuperficie, eosdemque prorſus ſui ſimiles, talesque inuenimus, quales paulo ante ſunt deſcripti. Iiisdem *porro* pilis caute, vt vix et ſine impulſu tangerentur, admouimus manum; protinus vſtionis ſenſus cum ſubſequente papula pruriente eſt ortus. Hunc ipſum locum adfectum *dein* ſtatim microſcopii ope inſpeximus, nec ibidem vllum vulnuſculi aut aculei inhaerentis veſtigium deprehendimus: ſola porulorum cutaneorum oſcula circumcirca paulo altius turgebant, ac in vicinis locis non ab vrtica tactis. *Tum* etiam, eodem fere temporis momento, in eosdem aculeos, antea inſpectos, deinque a manu tactos, oculum intendimus armatum: aculei reliquis longiores veſiculam habebant nunc minus pellucidam, limpido paene vacuam latice, et nonnihil collapſam; apice in pleriſque iam dehiſcente. Elapſa circiter quarta horae parte iterum repleta eſt haec veſicula, conniuente ſimul apice. *Tum* eodem in loco repetitum experimentum eadem quoque obtulit phaenomena. In decerpto vrticae recentis folio, poſt primum attactum vrendi vis ſtatim minor eſt obſeruata, nec microſcopium denuo repletam aculei veſiculam, nec conniuentem apicem indaganti oculo oſtendit. In ſiccata *denique* hac planta bulbillos iſtos pilorum contractos, nulloque liquore impletos, animaduertimus. Ex his omnibus igitur coniunctim ſumtis colligimus, partim ineſſe ſaltem iſtorum aculeorum apicibus ve-

getabilem illam ſentiendi facultatem, vnde ab attactu velut reſiliunt et dehiſcunt; quam etiam, verbi cauſa, in *impatientibus*, *mimoſis*, aliisque deprehendi, conſtat: partim excuti expellique hoc motu liquorem in aculei bulbillo collectum, ſorberique adeo ſtatim ab oſculis pororum cutaneorum. Acri autem materie ſalina hunc laticem ſcatere, ipſe ſtimulus ſatis abunde declarat.

§. VI.

Vſus vrticationis medicus.

Ex iis, quae hactenus diſputauimus, obſcurum eſſe non poteſt, vrticationem ſummo ſuo merito haud infimum in epiſpaſticorum claſſe mereri locum, omnesque iſtos ab eiusdem applicatione, conuenienter repetita, exſpectari poſſe effectus, quorum gratia rubefacientia adhibentur. Proinde quotiescunque imminutio aut defectio ſenſibilitatis aut irritabilitatis in aegroto quodam adeſt, aut congeſti alicubi boni malique humores aliorſum ſunt auocandi, toties haud inopportunae efficacitatis erit vrticatio. Eo igitur conſilio, vt ſupra (§. II.) notauimus, paralyſi CELSVS, lethargo ARETAEVS, vrticationem oppoſuit. Hinc etiam libidinoſae veterum Graecorum Romanorumque artes vrticarum vſum, ad torpentis Veneris excitationem, inter flagra aphrodiſiaca retulerunt; ſicut IVVENALIS et PETRONIVS innuere viden-

videntur *g*): quocum etiam conſentit MENGHVS BLANCHELLVS, *Fauentinus h*); a quo haec operatio ſterilitatis remedium vocatur. Praeter haec quoque, quantum in paralyſi et ſoporibus morboſis praeſtiterit vrticatio, nuperiora exſtant exempla. Plura huius generis de diſcuſſo ſopore febrili aegrotantium, ad brachia, femora, atque crura, vrticis caeſorum, recenſuit HOMOBONVS PISO *i*). Brachium puellae paralyticum in motus ſenſusque integritatem ab adhibita vrticatione reſtitutum vidit illuſtris IOANNES ANTONIVS SCOPOLI *k*). Aliud eiusdem ſalutaris euentus exemplum legi in *commentariis acad. ſcient. Pariſienſ.* perhibetur a viris celeberrimis, RVDOLPHO AVGVSTINO VOGELIO et HENRICO IOANNE NEPOMVCENO CRANTZIO *l*). Sed, ne nimius ſim, omitto cetera, et progredior ad illa, quae ipſe obſeruando cognoui, exempla, fidem plagoſae huius medicinae confirmatura.

 §. VII.

g) *Prior* Satyr. XI. verſ. 162. ſeq. *poſterior in Satyrico*, pag. 64. edit. *Lotichian.* quem ad locum conferri meretur *eiusdem Commentar. perpetuus*, pag. 308.

h) Citatus ab illuſtri MVRRAY *loc. allegat.*

i) In *Spicilegio curation.* pag. 6. ſeq.

k) In *Flora Carniol.* edit. I. pag. 428.

l) Meae tamen fidei eſt, non diſſimulare, ab vtroque viro *allegatum locum* in ipſis *Commentariis*, a me euolutis, nihil hac de re complecti.

§. VII.

Speciatim in exanthematibus.

Ex his a me obſeruatis recenſebo primum inſignem vrticationis in exanthematum eruptione ad certa quaedam loca dirigenda efficacitatem: quam partim fortuitus caſus, partim medentis intentio, priori caſu excitata, comprobauit. Vir illuſtris huiusque academiae quondam ICtus longe celeberrimus filiarum ſuarum educationem commiſerat feminae cuidam Gallicae, patriam hanc linguam optime quidem callenti, ceteroquin autem aniculae moroſae, difficili atque iracundae. Forte fortuna accidit, vt filiarum minima, quinquennis, vna cum iſta paedagoga in horto ambulare iuberetur. Illa prior, de crurum dolore atque torpore queſta, renuit deambulationis conſortium, grauiter illacrymans: haec vero, ſtatim in iram coniecta, et diſſimulatam ſegnitiem ſuſpicata, faſciculos vrticarum, prope naſcentium, ſubito decerpit, et, leuata puellae tunica, innocentes eiusdem nates atque femora hac virga egregie caedit. Variolae iſto tempore late hanc per vrbem vagabantur. Vix aliquot horis poſt has immeritas plagas puella febrire incipit, alteroque iam die maculae varioloſae confertim in natibus femoribusque erumpunt, toto reliquo corpore prorſus intacto. Natae hinc deinde puſtulae confluentes, ſuperato morbo, in natibus quidem per innumerabiles cicatrices ſui veſtigium reliquerunt, non corrupta vniuerſi

uerſi reliqui corporis venuſtate. Hem! quam excellens huic puellae ab vrticatione dos acceſſit! Hoc exemplo edoctus, aliis quoque virginibus feminisque, ſuae formae curioſis, ſi forte varia puſtularum vlcuſculorumque chronicorum genera faciem et proxima loca occupauerint, vrticationem dorſi frequentius repetendam, non ſine laetabili ſucceſſu, commendaui. Abſint modo ſiphylitica inquinamenta.

§. VIII.

Porro in rheumatiſmis fixis.

Quantum moleſtiae ſaepenumero medicis adferant, eorundemque patientiam fatigent dolores rheumatici chronici, et in vno eodemque corporis loco velut infixi, tot, et medentium, et aegrotantium, querelis locupletiſſime conſtat. Ab inſtituto ergo noſtro non erit alienum, duo hic commemorare aegrorum, diu rheumatiſmo peſſime vexatorum, exempla, quos poſt multiplicia alia conamina medica plane irrita, vrticatio tandem non alleuauit modo, ſed etiam perfecte ſanauit. Vir litteratns, duo ſupra quadraginta annos natus, temperamenti cholerici, habitusque corporis paullo gracilioris ſicciorisque, ceteroquin ſatis bona valetudine vſus, poſt lucubrationes in ſeram noctem protractas, et duarum hebdomadum ſpatio, tempeſtate auctumnali, continuatas, incidit tandem in lumbaginem rheumaticam grauiſſime dolentem, adeo, vt vix, niſi incur-

uato

uato tergo, incedere poſſet, multasque noctes inſomnes tranſigeret. Quibus cruciatibus, raro parum remittentibus, oppoſuit et doctiſſimorum medicorum conſilia, et varias medendi rationes: ſed ſupra ſemeſtre omnia in caſſum. Tandem medici, quem poſtremo in conſilium vocauerat, iuſſu, bis terue per ſingulos dies, vrticis caedendos ſibi curauit lumbos, illo ipſo loco, qui maxime doleret. Vix ita transactis decem diebus exacerbatio rheumatici doloris nocturna mirum in modum remiſit, noctesque redditae ſunt longe quietiores. Continuata porro in tertiam hebdomadem vrticatione ceſſit penitus rebellis lumbago, erectumque aegri inceſſum non amplius interrupit. Eodem exemplo excitata et confirmata ipſius huius aegri ſoror, quae ſaepe redeuntes acerbiſſimos ſub dextra ſcapula dolores rheumaticos paſſa erat, vltro vexato loco per aliquot dies vrticationem applicuit, praeſentiſſimo effectu, quandocunque rheumatiſmus reditum minaretur. Rariores etiam hinc atque infrequentiores factae ſunt familiaris huius mali acceſſiones.

§. IX.

Itemque in neruorum reſolutione.

Poſtremo, lectorum venia, adiiciam memorabile quoddam exemplum iſtiusmodi morbi, aduerſus quem iam ab antiquiſſimis temporibus apud medicos magna fuit vrticationis exiſtimatio atque com-

commendatio. Paralyticos enim vrticis caedi eſſe iuſſos, ex ante diſputatis abunde conſtat. Quantum hac via neruorum fibrarumque motricium inertiae obuiam eatur, ſequens docet exemplum. Vir quidam quinquagenarius, verbi diuini in aliquot pagis vicini circuli Neomarchici Sternbergenſis praeco, dum menſe Februario, ante ſedecim circiter annos, ex altero pago, in quo ſacra adminiſtrauerat, mane hora octaua, turbido ac immiti coelo, domum redit, ſubito apoplexia corripitur, celerrimam mortem minante. Ab aduocato protinus vicini oppidi, *Schwibuſii*, chirurgo, et aliquot horis poſt medico quoque, in vicina Polonia medicinam faciente, collata adeo feliciter ſunt conſilia, vt apoplexiae inſultus diſcuteretur, tertioque die aeger denuo ſibi conſtaret, et functiones ſuperiorum corporis partium rectiſſime ſe haberent. Sed in femoribus cruribusque remanſit tam enormis ſenſus motusque muſcularis abolitio, vt aeger pedibus velut pendulis neutiquam inſiſtere poſſet. Tantae ergo neruorum reſolutioni tollendae plurimi, et inter hos haud pauci magnae celebritatis, medici, ab aegro conſulti, ſaluberrima conſilia contulerunt. Quaenam remedia, quot acidulae, quot balnea, et ſexcenta alia in atrociſſimo hoc morbo ſint propoſita, nec ſatis ſcio, nec, ſi ſcirem, ſingulorum recenſionem inſtituto meo congruam exiſtimo. Satis erit, hic annotari, integro biennio, omnium medicorum, qui ſuis conſiliis aegro proſpexerunt, opera vix tantum eſſe effectum,

vt quantuluscunque in vexata a paralyſi loca rediret ſenſus, mouendi tamen facultate ſemper intercepta. Tandem alius medici adhortatione monitus commotusque aeger, lectis ſimul CELSI atque ARETAEI, quos ſupra excitauimus locis, vrticationis periculum facere, apud animum ſtatuit. Ergo quotidie ter quaterque ab vxore caedi ſibi vrticarum faſciculis voluit nates, lumbos, femora, atque crura: quae etiam non ſine multis ſuper huius medelae ſeueritate effuſis lacrymis hoc officio eſt perfuncta. Exeunte primo ab incepta hac medicatione menſe excitata eſt acrior ſentiendi facultas; ſub alterius menſis finem nonnihil moueri coeperunt pedum digiti, et ſic ſenſim, nullo die intermiſſa hac operatione, rediit adfectis et debilitatis partibus mouendi potentia priſtinumque muſculorum robur. Sic per quinque menſes bene, licet acerbe, vapulans aeger prorſus in ſanitatem reſtitutus eſt: vt per haec luculenter eſt declaratum, quod non modo ſolus, ſine adminiculo, expedite incedere poterat, ſed etiam, nondum hinc exacto anno, ex vxore, in tot profuſarum lacrymarum compenſationem, filiolum ſuſcipiebat.

§. X.

Scholion.

Hem! quanta foret generis humani felicitas, ſi ii quoque ſeuera vrticatione haud infructuoſe tra-

tractari possent, qui dissolutis sunt moribns, et quibus mens corrupta ad quascunque saluberrimas monitiones quasi hebet, ingeniique velut nerui torpentes virtutum stimulis nullo modo denuo excitari possunt. Ne in huius farinae hominibus de vrticationis efficacitate plane desperemus! Sequamur potius optimum praestantissimumque consilium magni olim perspicacissimique inter Anglos philosophi, dicentis:

Fiat experimentum!

BACO VERVLAMIVS.



